



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Aidanus Episcopus 31. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

enim anima pro corpore; Sed corpus pro anima factum est.
S. Bern.

2. *Omne quod est in mundo, est concupiscentia oculorum.*
Ostolida divitiarum concupiscentia. Quæ affligit laboriosis desideriiis acquirendi, Cruciat cupidine agendi, & angit metu amittendi. Immò ne decrescat cumulus, abstinent à partis multo sudore divitiis, atque ita bonis temperalibus non utuntur, nec utentur aternis.
Eucherius.

3. *Omne quod est in mundo, est superbia vite.* Doctrina S. Chrysofomi est: propter gloriam greges famulorum, equos auro opertos, argenteas mensas & ædificia splendida expetunt homines, ut gloriosi videantur. Sed ubi sunt gloriosi illi, qui ante pauca tempora adhuc erant nobiscum? Memoria illorum fortasse superest? hæc autem quid prodest? si ubi sunt, torquentur, & ubi non sunt, laudantur Chryf.

S. AIDANUS Episcopus

31. Augusti.

Estote parati, quia quâ nescitis horus filius hominis venturus est. Math. 24

Hic ille AIDANUS est Lindisfarnensis Pontifex, Quem ad Angliæ regnum Christo subjiciendum, purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) supra diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna

diver

dives fuit, hodie externæ culturæ est indiga.
 Cæterùm AIDANVS uti multùm Regibus,
 ita plùs aliquantò familiaris mendicabilis
 fuit. Ex his cùm uni æquum donasset phaleris
 regiis superbum, & Oswini (frater is erat
 Regis) nobile donum, succensuit nonnihil
 Oswaldus & objurgavit AIDANVM. At
 cùm hic pauca pro se dixisset, atque in tan-
 tùm quæsiuisset ex Oswaldo, plùsne equum
 hominis mancipium, quàm in paupere ho-
 mine Dominum Christum adamaret? conti-
 nuò in se se primò Rex, mox deinde in genua
 coram AIDANO descendit, & à Pontificia
 tiara veniam regiæ coronæ rogavit. Et abstulit
 non hanc tantùm, sed mortis etiam beatæ
 nuntium, cùm modestissimo Rege non digna
 jam esse superba regna dictitaret AIDANVS.
 Porrò cùm hic in iratum mare oleum immi-
 sisset, oleo mitius etiam mare vidisses. Flam-
 mas quoque, quas tyrannus Penda urbi inji-
 cere parabat, in suas partes traxit & a versas ab
 urbe in hostes armavit. Ita victore vita abiit
 non sine triumpho, quem diuus Cuthbertus
 tunc puer ducere illum in cœlum vidit multo
 lumine nobilem. O triumphum tuum AIDA-
 NE sequi etiam nos pileati olim possimus!

Ex V. Bedæ hist. Eccl. lib. 3.

K 3

ME-

De preparatione ad mortem.

1. **S.** Aidanus monuit Oswaldum ut ad mortem se-
compararet, Optime præparamus nos, si bo-
na opera præmittimus, quamdiu sumus in via, *Lucerna*
inquit Dominus, *ardentes in manibus vestris, & vos simi-*
les hominibus expectantibus Dominum suum. Lux bono-
rum operum luceat ante vos. Multi differunt bene-
facere, dum vivunt. Volunt modò benefieri pro se
ab aliis post mortem, interim illi sine lucernâ ardente,
quæ est charitas, & sine comitatu bonorum ope-
rum, ambulant in tenebris, & ruunt in in-
teritum. *Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam*
non est apud inferos invenire cibum. Eccles. 9,

2. Optima præparatio est prævidere mortem. Pec-
cator morte imminente illuminabitur duobus lumini-
bus. Rationis beneficio agnoscet stultissimū se fuisse,
quod in acquirendis fragilibus & momentaneis bonis
laboravit: fidei lumine videbit supplicia, quæ suis cri-
minibus promeruit. Sed heu! seriùs videt quæ longè
antè videre debuerat. Peccator, *dormit, & oculos aper-*
it, quia cum carne moritur, anima ejus videre cogitur,
quod prævidere contempsit. Greg.

2. Optima præparatio ad bonam & sanctam mor-
tem, est bene ac sanctè vivere. Mors Echo vitæ est.
Heu! quid faciam? vivere erubescio quia parum pro-
ficio; mori timeo quia non sum paratus.
Bernardus,